



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117859**

§.41. Concilium Calcutense.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

Sæcul. VIII.

A. C. 787.

*Anast. in  
Hadr.**Id. præf.**to. 6. Conc.  
p. 1861.*

Hadriani Papæ Legati Romam red-  
ces autographum Græcum Actorum  
Concilii attulerunt, quod Papa, suo jussu  
in Latinam linguam translatum, in Bi-  
bliotheca sua deposuit. Cum vero hæc  
versio de verbo ad verbum alligata vix  
intelligi posset, & nemo operæ pretium  
esse crederet, eam describere aut om-  
nino legere, Anastasius Bibliothecarius  
permotus est, ut post annos ferme cen-  
tum alteram Versionem adornaret. Hæc  
Anastasio Versio, & alia ea antiquior, sed  
melior quam prima, ad nostram usque  
ætatem pervenerunt.

## §. XLI.

*Concilium Calcuthense.*

Cum Hadrianus Papa duos Legatos,  
Gregorium Episcopum Ostiensem,  
& Theophilactum Episcopum Tuderti-  
num in Angliam misisset, per Franciam  
commeantibus Rex Carolus, ut Papæ  
gratum faceret, Vighodum Presbyterum  
& Abbatem itineris comitem dedit. In  
Angliam pervenientes primo a Jamber-  
to Archiepiscopo Cantuariensi excepti,  
inde perrexerunt ad Aulam Offæ Regis  
Merciorum, cui & Chuniulpho Regi  
West-Saxonum tunc forte in eundem  
locum convenienti Epistolas Papæ red-  
diderunt. Consilio deinde cum illis Re-  
gibus, Episcopis, & Proceribus inito Le-  
gati

gati in diversa abire statuerunt. Theophilactus Mercios & vicinas regiones adiit. Gregorius vero cum Abbate Vighodo in Nordhumbriam ad Regem Elfuoldum, & Embaldum Archiepiscopum Eboracensem perrexit, sed quia tunc temporis Rex in remota ad Boream provincia commorabatur, Archiepiscopus ad eum misit, qui Legatos advenisse indicarent. Rex acceptis litteris illico die Concilii inchoandi, & loco, quem *Calcutb* lingua vulgari appellabant, constituto, ipse cum omnibus Episcopis & Proceribus illuc comieavit.

Sæcul. VIII.  
A. C. 787.

In illo Concilio viginti Canones conditi. In quorum primo omnes monentur, ut Fidem Nicænam & sex Conciliorum Universalium firmiter teneant. Necdum enim Synodus septima ad eorum notitiam pervenerat. Alio tempore quam per Canones constituto (scilicet Paschali) Baptismus non conferatur nisi pro magna necessitate. Nullus ex Ministris Altaris nudis cruribus ad Missam celebrandam accedere audeat. Ex cornu bovis calix aut patina non fiat ad offerendum Sacrificium.

c. 2.

Reges ab Episcopis & Optimatibus eligantur, ex Toro legitimo procreati sint, in nomen Regis nemo conjurare audeat. Generatim vero ex adulterio nati ab omni Successione legitima excluduntur.

c. 12.

c. 16.

Sæcul. VIII.

A.C. 787.

c. 3. 19.

c. 14.

duntur. Hoc Decreto Christiani a commerciis illicitis absterrebantur, maxime cum Potestas Sæcularis Ecclesiasticæ consentiret. Omnia paganæ Superstitionis vestigia tolluntur, Augures, Aruspices, divinatores, incantatores, venefici coercentur. Judices ad sententiam pronuntiandam sortes non adhibeant. Res quoque non nullæ indifferentes prohibentur, quale illud erat, quod aliquomode Gens Pictorum sibi cutem pingerent, vel perforarent. Equi non detruncantur, nares eorum non findantur, aures & caudæ non amputentur, & nemo carnem equinam comedat. Nemo Ecclesiis majora tributa imperet, ac Lex Romana & piorum Principum consuetudo permittat.

Hos Canones a Legatis in Synodo propositos cuncti approbarunt, & subscripserunt adjecto signo Crucis, primus, Rex Elfuoldus, deinde Embaldus Archiepiscopus, alii Episcopi quatuor, & duo ab absentibus delegati. Item Duces duo & Abbates duo. Omnesque hæc Decreta fideliter observare polliciti sunt. His ibi peractis Legati, illis comitantibus, qui a Rege Nordhumbriæ, & Archiepiscopo Eboracensi missi fuerant, ad Concilium Merciorum celebrandum commigrarunt. Locus non nominatur, sed adfuere Rex Offa cum Proceribus, &

& Jambertus Archiepiscopus Cantuariensis cum ceteris illius Regionis Episcopis. Lecti sunt ibidem iidem Synodi Calcuthensis Canones, & ex Latino in linguam Teutonicam explicati, ut intelligere omnes possent. Hos se observaturos promiserunt omnes, subscripseruntque, primo Jambertus Archiepiscopus, tum Rex Offa, Episcopi tredecim, Abbates quatuor, Duces tres, & unus Comes. Ita hæc duo Concilia loco Synodi universalis totius Angliæ fuere. Legati datis litteris, & insertis Canonibus Hadriano Papæ omnium actorum rationem reddiderunt. At in illa epistola dicunt, a temporibus S. Augustini Episcopos Romanos præter se nunquam in Angliam fuisse missos; unde produnt, sibi Missionem S. Theodori fuisse ignotam.

Sæcul. VIII.  
A. C. 787.

Sup. lib.  
XXXIX.  
p. 43.

§. XLII.

*Carolus tertio Romam proficiscitur.*

Interim Rex Carolus, profectioe tertia in Italiam suscepta, ibidem hyemem transegerat. Roma deinde Capuam contendens, ut Arigisum Ducem Beneventanum ad obediendum compelleret, initis tamen pactis in fidem recepit, ne diuturno bello Episcopatus & Monasteria vastarentur. In illo itinere quibusdam Ecclesiis videlicet Monasterio S. Vincentii

tii